

De Laertii Diogenis fontibus

scripsit

Fridericus Nietzsche.

I.

De Diocle Magnete.

Laertius Diogenes ut singularum solet philosophiae disciplinarum decreta eis libri sui partibus explicare, ubi de earum auctoribus disserit, praecepta Stoicorum Zenonis vitae his verbis usus subiecit VII. 38 *κοινῆ δὲ περὶ πάτων τῶν στωικῶν δογμάτων ἔδοξέ μοι ἐν τῷ Ζήγωνος εἰπεῖν βίᾳ διὰ τὸ τοῦτον κτίστην γενέσθαι τῆς αἰρέσεως, ἔστι μὲν οὖν αὐτοῦ καὶ τὰ προγεγραμμένα βιβλία πολλὰ, ἐν οἷς ἐλάλησεν ὡς οὐδεὶς τῶν στωικῶν, τὰ δὲ δόγματα κοινῶς ἔστι τάδε, λελέχθω δ' ἐπὶ κεφαλαιών ὥςπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ποιεῖν εἰώθαμεν.* Cui proposito satisfacere ita instituit, ut primum de diversis apud Stoicos totius philosophiae partitionibus exponeret: quam tris in partes dividendam esse omnes consentiunt. Vehementer vero inter nobiles atque ignobiles Stoicos de iusto ordine dimicatum est, quo haec partes inter se deinceps sequentur: quorum nominasse satis est Zenonem ipsum, Chrysippum, Panaetium, Posidonium eiusque discipulum Phaniam, Eudromum, Archedemum, Diogenem Babylonium, Eudemum, Diogenem Ptolemaeum, Zenonem Tarsensem, denique Apollodorum Ephelum¹⁾, cuius partitio a Laertio servata est.

His praemissis totam Zenonis Stoicorumque de dialecticis sententiam inlustrat neque eam summatim exposuisse contentus est VII. 48 ἐν οἷν τοῖς λογικοῖς ταῦτά τε αὐτοῖς δοκεῖν κε-

1) Omnes codices verba Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐφιλλος exhibent: nisi quod *F* (Laurent. plur. LXVIII 13 saecul. XII membr.) ἔφιλος, *N* (cod. Bourbon. Graec. n. 253 saecul. XII membran.) ἔφηλος (*η* ex *i* corr.) praebent. Sine dubio cum Bourbonico scribendum est ὁ ἔφηλος i. e. lentiginosus.

φαλαιωδῶς. καὶ ἵνα καὶ κατὰ μέρος εἴποιμεν, καὶ τάδε ἀπερ
αὐτῶν εἰς τὴν εἰσαγωγικὴν τείνει τέχνην καὶ αὐτὰ ἐπὶ λέξεως
τίθησι Διοκλῆς ὁ Μάγνης ἐν τῇ ἐπιδρομῇ τῶν φιλοσόφων
λέγων οὕτως. ἀρέσκει τοῖς στωικοῖς κτλ. Quid apertius quam
Laertium, si Diocli καὶ τάδε se debere confiteatur, iam alia
ex eodem fonte antea hausisse? Id vero quaeri potest, quantum
valeat illud καὶ αὐτά: in quo si quis eandem vim inesse cen-
set quam in καὶ τάδε vocibus, non me assentientem habebit.
Immo illud καὶ αὐτά cum verbis sequentibus ἐπὶ λέξεως
artissime cohaeret atque in hunc modum est interpretandum:
»Vt etiam particularia referamus, Diocles Magnes in philoso-
phorum percusione etiam haec, quoad ad artem (i. e. compen-
dium) isagogicam quadrant, eaque item ad verbum his ver-
bis usus ponit«. Significat igitur Laertius se iam antea Dioclem
ad verbum descriptsisse. Quae si recte sunt explicata, primum
errare Laertii editores apparet, qui post τέχνην vocem inter-
pungunt, non interpungunt post εἴποιμεν: unde efficitur ut καὶ
τάδε ἀπερ αὐτῶν εἰς τὴν εἰσαγωγικὴν τείνει τέχνην verba ab
illo εἴποιμεν pendere videantur. Quod cum facerent editores
simil existimaverunt Laertium unum omnino enuntiatum de Diocle
descriptsisse. Cuius opinio etiam signa luculenta in contextum
intulerunt. Sed prorsus contrarium conligendum est ex nostra
illius loci interpretatione, utpote quo ipse Laertius indicet, quae-
cumque de Stoicorum logicis speciatim afferrentur, de Diocle ad
verbum esse desumpta.

At Laertium tam impudenter descriptsisse putas? Quidni
putem? Nonne idem cum tres summae amplitudinis epistolas,
quibus Epicurus doctrinam tamquam compendio complexus est,
integras in librum suum recepit, tum longiorem de Pythagore-
orum symbolis ex Alexandri Polyhistoris commentariis descrip-
sit disquisitionem? Haec eadem est impudentia: si cui Laertius
impudenter egisse videtur, cum quae apud alios bene explicata
videret, ipsis alienis verbis mallet adscribere, quam suis expo-
nere minus dilucide.

Laertius igitur iam antea de eodem Diocle alia ad ver-
bum descriptsit: quid verisimilius quam haec, quae Stoicorum
logica κατὰ μέρος antecedunt i. e. logica κεφαλαιωδῶς et Sto-
icæ philosophiae partitiones. Quae opinio eo stabilitur, quod ad
easdem auctoritates, ad quas Diocles in λογικοῖς κατὰ μέρος
etiam scriptor illius de partitionibus commentationis provocat,
ad Chrysippum, Apollodorum, Posidonium, Archedemum, Dio-
genem Babylonum, qui aetate Posidoni discipulos ibidem exci-
tatos non superant Antipatrum, Boethium, Phaniam. Vix enim
mirum illud intellegi potest, unde factum sit, ut ex multitudine
illa Stoicorum, qui deinceps floruerunt primo p. Chr. saeculo,

in ipsis his Stoicorum decretis nullus mentione dignus habetur: nisi nobis conceditur auctorem, quem Laertius secutus est, ante illam seriem, sed post Posidonii discipulos vixisse. Hic tamquam digito monstratur Diocles.

Sed accedit etiam aliud. In nonnullis enim figuris dialecticis ipsum Dioclis nomen usurpatum est veluti ζῆν Διοκλῆς. Vnde Laertius talia desumere potuit nisi de ipso Diocle? Iam videamus, quae sint consectaria. Vt in unum autem demonstrandi genere, quod ad tales de fontibus alieuius scriptoris quaestiones necessario requiritur. A Diocle perspeximus et totius philosophiae partitiones et logica Stoicorum pracepta Laertium hausisse. Iam veri est dissimillimum, apud Dioclem omissas fuisse Stoicorum de moribus deque natura sententias: quin per se intellegitur has quoque Stoicae doctrinae partes una cum ceteris decretis ab illo esse tractatas. Cum autem apud Laertium de ipsis illis ethicis et physicis disputetur sententiis: unde, quaeeso, hae sumptae sunt nisi de eodem Diocle? Quid enim? An Laertium eundem fontem, quem modo exhauserat, sine ulla caussa deseruisse putemus? Parum sane est veri simile Laertium ceteras Stoicae doctrinae partes ab alio scriptore, ab alio tertiam petuisse, cum ei licet eundem, qui duas illas partes praebuit, in tertia quoque sequi. Denique illud quo modo explicetur scire velim, quod Laertius ne uno quidem loco alias praeter Dioclem fontes indicat: quibus si usus fuisse, Laertius non is est, qui eos commemorare omisisset: quippe qui nulla re magis gaudeat, quam coacervata multitudine testimoniorum specieque profundae doctrinae affectata.

Quae cum sint, ego nisi quis haec argumenta mea certa argumentatione infirmabit et diluet, in hac persto sententia totam de Stoicorum doctrina commentationem de Diocle fluxisse. Accedit autem argumentum quoddam, quo haec sententia confirmetur. Stoicorum physicis i. e. postremae parti his verbis finis imponitur VII. 160 ταῦτα μὲν καὶ τὰ φυσικὰ τὸ δύον ἡμῖν ἀποχρηστικῶς ἔχειν δοκεῖ στοχαζομένοις τῆς συμμετρίας τοῦ συγγάμματος. Hoc loco quid est certius quam nosmet Laertium ad verbum describentem tamquam ἐπ' αὐτοφάρῳ deprehendere? Nonne totius libri συμμετρία vehementer est laesa, hoc nimio Stoicae philosophiae ambitu, quam editio Cobetiana XXVI paginis complectitur, cum Platonis et Academiae decretis VIII, Aristotelis II, Pythagorae V, Pyrrhonis VII compleantur. Vnde haec verba somnolente a Laertio e Dioclis libro translata esse comprobatur.

»Quae cum scripsisset, relicto Diocle alium petiit librum, ut Aristonis vitam sententiasque cognosceret, quas proximo capite enarrare voluit*. Haec sane speciose excogitata. Alicubi

enim Laertium in transcribendo constitisse res ipsa suadet; ubi vero eum constitisse putemus nisi eo loco, ubi tamquam cardo vertitur novumque caput et simul novum incipit argumentum? Haec igitur si quis sumit, aut concedenda sunt aut ut ex falsis profecta principiis improbanda.

Sed mittamus haec in tempus, non ut divagemur, sed ut arma acquiramus, quibus illae *ἀπορίαι* dissecentur. Quid erat caussae, cur Laertius historiam suam philosophorum in decem libros divideret? Vnde illa librorum decas orta est? Num forte haec partitio tanto opere sese commendat, ut nihil cogitari possit simplicius, commodius, elegantius?

Laertius eorum sententiam secutus est, qui philosophiam graecam a duabus tamquam radicibus profectam in Ionicam et Italicam dividerent. Huius sententiae et artificiosae neque sibi constantis quis auctor fuerit, hoc loco non quaeritur. Ionicae philosophiae Laertius sex tribuit libros, Italicae tres: quibus unum librum praefixit praefationem et sapientum vitas continentem. Vnus quisque liber a vita eius conditoris disciplinae incipit, qua in enarranda totus versatur: quam legem certe in libro II. V. VI. VII. VIII. IX. X observamus. Iure nostro iam expectamus aequa ceterorum librorum forma inducti tertium librum Academiam eiusque ducem et principem Platonem amplexurum esse. Quae opinio nos prorsus fallit. Platonem enim tamquam a schola et sobole separatum et remotum non sine miratione videmus. An si Laertius Platonem eiusque scholam uno libro tractasset, hunc librum ambitu ceteros nimis superaturum fuisse putemus? At quid dicamus de septimo libro, ubi Stoici domicilia sua tanta extruxerunt amplitudine, ut iam primum huius libri caput plus spati sibi vindicaret quam totus liber tertius. Laertius igitur aut sumمام suam Platonis aestimationem inde voluit perspici, quod ei tamquam deo et numini separatum destinavit sacellum, aut ei displicuit opus in novem partes dissectum fabricasse, ut simplici adhibito artificio sanctum et venerabilem iustauraret decadis numerum: veluti haud paucae inveniuntur mulieres, quae novem vel undecim patinarum et cultellorum possessionem aegre ferant neque quidquam vehementius optent nisi ut iustus sanctusque compleatur numerus.

Laertium autem re vera tali quam modo significavimus caussa ad miram librorum distributionem motum esse, altera discimus computatione. In centum enim capita ille totum librum divisit: qui numerus efficitur, si ad nonaginta novem vitas addimus prooemium. Neque est difficile cognitu Laertium ipsum hunc in modum computari voluisse: qui prooemio in primo libro, non antea locum consignavit. At qua via, inquires, si operae non pepercisti capita post nos iterum computandi, qua via

tibi evenerunt centum capita? Nimirum nihil ad hanc rem hae, quas manu terimus, Laertii valent editiones, quae capitum ordinem nescio a quo excogitatum secuntur longe a libris manuscriptis abhorrentem. Sed singulari fati favore accidit, ut numerus index capitum, quem duo servaverunt codices Laurentianus et Marcianus in lucem protraheretur (conf. Valentinus Rose in Herm. vol. I. 370), qui uno tenore illa nonaginta novem capita exhibet ne illic quidem deficiens, ubi liber septimus maxima foedatus est lacuna. Cuius indicis vestigia presse quod scio Laurentianus ille et Burbonicus, duces facesque futuri Laertii editoris, relegerunt. Quis vero eo prodeat coniectandi libidinis, ut hunc inter decem libros et centum capita consensum non ex consilio scriptoris, sed solo casu ortum esse atque adeo hoc illud nomen in indice excidisse suspicetur?

Nosmet igitur capitum ordine confisi, quem index ille et codices suppeditant, eo revertimur, unde consulte paullulum defleximus. Si Laertium eo loco veri est simillimum Diolem transscribere desiisse, ubi et Stoicorum decreta et caput Zenonium ad finem perducta essent novumque inciperet et caput et argumentum: iam id solum quaeritur, num hic quem circumscriptissimus locus idem sit, ubi nostrae Laertii editiones Zenonis caput finiunt. Quod praefracte nego. Illic VII. 160 neque Zenonis caput revera finitur neque tota Stoicorum philosophia iam est explicata. Tres enim Stoici, quorum vitas sententiasque editi Laertii contextus capite septimi libri II., III., IV. enarrant, Aristo, Herillus, Dionysius a iusta rectaque Stoicorum via deserverunt, ita ut inter Stoicos ut ἐτερόδοξοι male audirent. In hac autem ipsa placitorum discrepantia caussa posita est, cur iuxta meram Stoicorum doctrinam eorum referantur sententiae adiectis nonnullis de vita victuque eorum notulis. Quod aperi-
tissime ipse Laertius his iudicat verbis: ἂ δέ τινες ἔξ αὐτῶν [στωικῶν] διηρέχθησαν, έστι τάδε. Ἀρίστων ὁ Χῖος ὁ Φάλανθος ἐπικαλούμενος Σειρήν τέλος ἐφῆσεν εἶναι τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξύ ἀρετῆς καὶ κακίας μηδὲ ήντινον ἐν αὐτοῖς παραλιαγῆν ἀπολείποντα κτλ. Ἡρίλλος δὲ ὁ Καρχηδόνιος τέλος εἶπε τὴν ἐπιστήμην δύνει ἐστί ζῆν ἀεὶ πάντα ἀναφέροντα πρὸς τὸ μετ' ἐπιστήμης ζῆν καὶ μὴ τῇ ἀγνοίᾳ διαβεβλημένον κτλ. Διονύσιος δὲ ὁ Μεταθέμενος τέλος εἶπε τὴν ἡδονὴν κτλ. καὶ οὗτοι μὲν οἱ διενεγθέντες. διεδέξατο δὲ τὸν Ζήνωνα Κλεάνθης, περὶ οὗ λεκτέον.

His igitur postremis verbis Stoicae doctrinae imago prorsus perfecta et conformata est. Cui opinioni adprime convenit, quod de Laertii libris manuscriptis mecum liberalissime communicavit C. Wachsmuthius: quos ille testatur caput Zenonis no-

mine inscriptum usque ad verba, quae modo ultimo loco descripsimus, continuare, ita ut Cleanthis vita vitam Zenonis excipiat, Aristoni autem Herillo, Dionysio locus in Zenonis capite sit adsignatus. Haud quidem scio, cui novus capitum ordo, quem recentiores adhuc secuti sunt editores, debeatur: illud existimo genuinum esse et ab ipso Laertio profectum eum, quem exhibeaut codices, index Laurentianus tueatur (*Zήρων Κλεάνθης*). Hic enim, cuius fidem ex nostris computis comprobavimus, omittit Aristonis, Herilli, Dionysii nomina.

Verum enim vero postquam Stoicorum doctrinam totam statuimus esse Dioclis, etiam illam Zenonii capititis extremam partem necessario conligitur e Diocle esse transscriptam. Quod inde haud mediocriter stabilitur, quod in hac ipsa parte Dioclis in hunc modum fit mentio παραβαλὼν δὲ Πολέμωνι (Αρίστων), φησὶ Διοκλῆς ὁ Μάγνης, μετέθετο Ζήνωνος ἀρ-ωστίᾳ μαρκᾶ περιπεσόντος· μάλιστα δὲ προσεῖχε στωικῷ δόγματι τῷ τὸν σοφὸν ἀδέξαστον εἶναι. Non solum igitur Aristonis Herilli Dionysii sententiae, sed etiam vitae e Dioclis libro in Laertium fluxerunt. Quia in re ne calidius progrediamur caveamus. Iure enim cogitari potest, inquies, Laertium ad hanc extremam Zenonii capititis partem extruendam et exornandam et Dioclem et alios auctores promiscue adhibuisse: veluti eum constat hoc loco, ubi de Aristone agit, epigramma e pammetro sua depromptum interposuisse. Quod si semel factum esse certum est, quo iure negabis tale aliquid non esse iterum vel saepius factum? Vt igitur minimum sumamus: Laertius quidquid cum Aristonis Herilli Dionysii sententiis arte cohaeret, Diocli uni scriptori debet. Ex eis, quae adhuc probata et concessa sunt, non ausim disceptare, utrum librorum et homonymorum indices de eodem Diocle an de aliis fontibus sumpti sint. Eo autem certius hanc amplectimur sententiam, Laertium ab uno scriptore illam latissimam commentationem, quae a paragrapgo XXXVIII usque ad CLVII extenditur, accepisse, paucis exceptis parvisque locis: si quidem excipiendi sunt. Hoc sane Laertius apertis verbis non fatetur: qui astutia, qua solent esse tales alienae sapientiae spoliatores, ad Dioclis auctoritatem semel vel bis provocat, ut lectorem in errorem iniciat, se hoc Diocle ut uno fonte ex multis usum esse. Nulla enim re fur se magis tueri studet quam adfectata probitatis specie. Nam vero nosmet semel moniti non ei sumus, qui Laertii captiunculis decipiāmūr et ei tantum tribuamus fidei, ut eum credamus his solis locis Dioclis doctrinam, in usum suum convertisse, ubi eius nomen usurparet. Immo quid est certius quam eum Dioclis nomen consulto saepius reticuisse quam appellasse, praesertim cum ex ipsis locis, ubi Dioclē se esse usum fatetur, sat appareat,

quantam rerum memorabilium copiam Dioclis liber suppeditaverit. Ex eo enim de Xenophontis filiis, de Aristippi facetiis, de cynicis Diogenis vestimentis deque eius exilio, de Cratete opes suas in mare coniciente, de eiusdem poena, cum mordacior fuerit, de Menippo eiusque domino, de Chrysippi praexceptis miroque scribendi fervore, de Pyrrhonis patre, de Antisthenis cynicorumque decretis, de Epicuri sententiis Epicureorumque modico victu narrat Laertius. Quid mirum quod lubentissime libro usus est, in quo philosophorum parentes, praeceptores, casus, victus, facetae, placita, omnia omnino inerant quaecunque ad philosophorum historiam pernoscendam necessario requiruntur.

Iam novam neque minorem proponimus quaestionem: quis hic fuit Diocles, cuius liber Laertio non ex aliorum memoria notus est, sed ipse ad manus fuit? Quando floruit? Cui addictus erat philosophiae disciplinae?

Nihil nobis respondent Ionsius, I. Vossius, C. Muellerus. Hoc unum scimus eum Magnesiae esse ortum: utra in urbe ortus sit, disceptari non potest, quamquam Heckerus Batavus confidenter Magnesiam ad Sipylum sitam intellegit. Neque certius est, quod idem homo doctus suspicatur e schola Pergamena eum esse profectum. Toto vero caelo erravit cum ille tum Panzerbieterus in Iahn. Ann. Suppl. V. (1837) p. 219. quod eum c. 200 a. Ch. n. floruisse dicit. Ex eis enim quae disputavimus apertum est eum post Posidonii discipulos sed non longo intervallo i. e. in priore primi p. Chr. saeculi parte floruisse. At unde ille Heckeri error? Excitantur apud Laertium Sotionis *Διοκλεῖοι ἐλέγχοι*: hunc Sotionem sumpsit Heckerus, non demonstravit non fuisse diversum ab illo *διαδοχῶν* scriptore Alexandrino: sumpsit idem hos *Διοκλείοντος ἐλέγχους* referendos esse ad Dioclem Magnetem. Quae res paucis transigi potest. Ille enim Sotion, qui *Διοκλείοντος ἐλέγχους* scripsit, ex eorum erat numero, qui maledictis eos insectantur, a quibus de bonorum finibus aliisque philosophorum opinionibus dissentiantur. In libro ita ut diximus inscripto id egit, ut Epicuri vitam moresque invidia obrueret. Quo libro cum Dioclis cuiusdam sententias impugnaverit, hic Diocles inter Epicuri amicos habendus est. Atqui idem statuo de Diocle *βίων φιλοσόφων* scriptore: qui Epicuri eiusque scholae temperantiam victusque simplicitatem luculentis laudat verbis. Ergo eundem esse Dioclem in aperto est, qui philosophorum vitas scripserit et qui Sotionis odium inimicitiasque laceraverit. Vnde efficitur ut Dioclis memoria reconcinnata Sotione aetatem assequi possimus. Contra Heckerus de uno solo illo Sotione Alexandrino *διαδοχῶν* scriptore cogitandum esse sumpsit atque inde Dioclis aetatem certis terminis

circumscribere conatus est. Iam etiam hoc apparet, cur Dioclem Pergamenea addictum scholae finxerit.

At Laertii verba, a quibus haec argumentatio profecta est, intentis animi nervis examinemus. X. 3 *Διότιμος δὲ ὁ στωικὸς δυνσμενῶς ἔχων πρός αὐτὸν (Ἐπικοινῶν) πικρότατα αὐτὸν διαβέβληκεν ἐπιστολάς φέρων πεντήκοντα ἀσελγεῖς ὡς Ἐπικούρον καὶ τὰ εἰς Χριστιπόν ἀναφερόμενα ἐπιστόλια ὡς Ἐπικούρον συντάξας. ἀλλὰ καὶ οἱ περὶ Ποσειδώνιον τὸν στωικὸν καὶ Νικόλιος καὶ Σωτίων ἐν τοῖς δώδεκα τῶν ἐπιγραφομένων Διοκλείων ἐλέγχων, ἢ ἔστι περὶ τοῖς κδ' καὶ Διονύσιος ὁ Ἀλικαρνασσεὺς*²⁾.

Quem haec aerius perscrutantem fugiet hac in Epicuri calumniatorum serie temporum ordinem esse servatum? Diotimus, sive Theotimum cum Athenaeo dicere mayis, Sullae erat aequalis: Posidonii discipuli in altera primi a. Chr. n. saeculi parte florebant. Nicolaus Peripateticus ex C. Muelleri computis a. 64 a. Chr. n. natus est, anno autem 55 Dionysius Halicarnassensis. Quem a. 20 p. Chr. superstitem fuisse constat: si quidem iure eum Suidas aequalem vocat Apionis, qui Tiberio Claudioque Caesaribus floruit. Certissimum igitur nancti sumus testimonium, quo adiuti Sotionem Augusti aetati vel primis Tiberi annis adsignaremus.

At eiusdem aetatis Sotione aliunde nobis est notissimus. Quid? quod Seneca cuius »iuentae tempus in Tiberi Caesaris principatum inciderat« (conf. ep. 108, 22), haec in epist. 49, 2 exhibet »apud Sotionem philosophum puer sedi«. Idem est, quem Eusebius ad Olymp. 198 philosophum Alexandrinum praceptorum Sencae vocat. Sotionis vero ipsius praceptor fuisse videtur Potamo Lesbius, de cuius aetate conf. Blassius in eloqu. gr. histor. p. 165. Plut. Alex. 61. Scripsit, ut discipulus Seneca, de ira, cuius libri fragmenta Ioannes Stobensis servavit in floril. XIV 10. XX 58. LXXXIV 6—8. 17. 18. CVIII 59. CXIII 15. Conf. cod. Cahirensis saec. X, de quo vide Tischendorfium in Anecd. Sacr. et Prof. p. 217 nov. ed. De titulo ἐκ τῶν Σωτίωνος τῶν σποράδην περὶ ποταμῶν καὶ κρηνῶν καὶ λιμνῶν παραδοξολογουμένων ex falsa conjectura inscripto nunc consule Valentínus Rose in anecd. gr. et gr. l. p. 7 ss.

2) τοῖς N H (cod. Borbon. cod. Laurent. plut. LXVIII 35 saec. XV membr.) δώδεκα H, ἢ N H F (cod. Laur. plut. LXVIII 13 saec. oīς

XII membr.) τοῖς F N, της N. Scribendum est ἢ ἔστι περὶ τῆς εἰκάδος quod homines docti qui morum et institutorum Epicureorum probe sunt gnari, lubenter mihi concedent. Ceterum dum haec scribo, non satis mihi constat, num primus hanc emendandi viam ingressus sim.

Neque alius est Sotio, quem Hieronymus in catalogo Sanctorum Stoicum vocat. Verendum autem est ne Hieronymus hac in re ab Eusebio destitutus mera conjectura eum Stoicum finixerit, Senecae inductus stoica philosophia. Mihi enim accuratius eos Senecae epistolarum locos pensitanti, ubi Sotionis nomen usurpatur, contigit ut hanc de Stoico Sotione opinionem quam longissime reicerem. Pythagoram enim Sextiosque imitatus eo prodiit, ut ab esu animalium abstineret ac discipulos non sine successu ad eandem abstinentiam incitaret. Neque abhorruit ab eorum sententia, qui animas per diversa corpora migrantes fingebant. Pro certo igitur adfirmo eum esse Qu. Sexti disciplinam secutum, quae Augusti temporibus Romae floruit. conf. O. Iahnii in soc. lips. act. 1850 a. p. 227 ss. Quibus autem legibus eius sectatores in primis se adstrinxerint, ex his Q. Sexti verbis quae Seneca tradit, intellegitur: »hac itur ad astra, hac secundum frugalitatem, hac secundum temperantiam, hac secundum fortitudinem«. Apparet sane quaedam cum Stoicorum decretis cognatio: qua re Seneca Qu. Sextium magnum vocat Stoicum »licet neget«. Stoicum igitur se esse negavit, ne gaverunt discipuli. Vnde apertum est, quo iure Hieronymi de Sotione Stoico testimonium impugnaverim.

Non iam mirum videtur, quod Sotion qua erat abstinentia in Epicuri commoda placidaque doctrina vehementer offendebat. Quod vero eam hac ratione redarguere conabatur, ut eius auctorem calumniis insectaretur, commune hoc habet vitium cum omnibus omnium temporum philosophis.

Huius igitur Sotionis, cuius memoriam recuperavimus, initicias expertus est Diocles Magnes. Qui au merus fuerit Epicureus, haud scio: id est certissimum eum Epicuri et discipulorum vitam victimque laudavisse. Neque acri Sotionis impetu depulsus est. Cum enim vitas philosophorum conscriberet, occasione data Epicuri calumniatores ipsumque Sotionem acerbissime perstrinxit. At unde, inquires, haec sumpsisti? E Laertio scilicet. Ordinem enim Epicuri calumniatorum ipsarum calumniarum excipit summarium. Vnde, queso, Laertius et calumniatorum seriem et calumnias earumque confutationes desumere potuit nisi de Diocle, qui adversariis suis respondere debuit responditque, ut ex his verbis configendum est, quae in ipsa hac decimi libri parte extant X, 11. *Διοκλῆς δὲ ἐν τῇ τρίτῃ*³⁾ *τῆς ἐπιδρομῆς φησιν εὐτελέστατα καὶ λιτότατα διαιτωμένους (τοὺς Ἐπικονρείους) „Κοτίλη γοῦν, φησὶν, οὐνιδίουν ἡρχοῦντο, τὸ δὲ πᾶν ὑδωρ ἦν αἵτοῖς ποτόν. τόν τε Ἐπίκονρον μὴ ἀξιοῦν εἰς τὸ κοινὸν ἀνατιθεσθαι τὰς οὐσίας, καθάπερ*

3) Sic eodd. excepto H, qui έν τῷ τρίτῳ praebet.

Πινθαγόρων κοινὰ τὰ φίλων λέγοντα· ἀπιστούντων γάρ εἶναι τὸ τοιοῦτον, εἰ δὲ ἀπίστων, οὐδὲ φίλων. Neque obliterata sunt huius quam significavi originis indicia. Nota est Pythagorae sententia *κοινὰ τὰ φίλων*, quam Diocles arrepta quodammodo occasione respuit, quippe qui Sextianos summum Pythagoram tamquam ducem deumque venerari sciret. Inde iam non mirum videtur, quod Laertius titulum *Διοκλείων ἐλέγχων* pleniorum exhibit, quam alibi assolet. Id quoque apertum est, cur Epicuri calumniatores tanta acerbitate insani vocentur „μεμιῆται δ' οὗτοι“. Denique clara diffunditur lux in locum, quem recte interpretari nemo adhuc poterit ἡτε διαδοχὴ (Ἐπικούρου), πασῶν σχεδὸν ἐκλιπονοσῶν τῶν ἄλλων, ἐς μὲν διαμένοντα καὶ νηῷ θμοὺς ἀρχὰς ἀπολύνοντα ἄλλην ἐς ἄλλης τῶν γνωρίμων. Vehementer omnes in his verbis offenderunt. Quid enim? Scholamne Epicuri integra successionum serie usque ad Laertii tempora propagatam esse putemus? Cum omnes alias sectas iam Augusti aetate aut antea periisse constet? Atque quid est causae, cur nihil omnino de mira hac Epicureorum diuturnitate traditum habeamus? Iam quaestonis solutio est in promptu: dum modo non Laertii aetatem, sed Dioclis intellegamus. Quem Laertius tanta fide, quanta stupiditate descriptis. Dioclis igitur temporibus Epicuri schola superstes erat: cum vero luculento Senecae testimonio constet Qu. Sexti scholam inter ipsa initia iam periisse: perinde eluet, qua mordacitate Diocles illa verba scripserit. Sotionem enim Sextianum tecte ludit.

Ceterum haec Dioclis argumentatio prorsus esset inepta, si Sotion e Stoicorum fuisse numero: id quod Hieronymus nobis obtrudit. Stoicorum enim soboles sub primis Caesaribus validissime viguit, ita ut ipsis dominantibus haud pararet molestias.

Iam ecce, quae ex accuratiore Dioclis cognitione sint consectaria. Cum demonstraverimus eum Stoicorum decreta, quibus non erat addictus, tanta copia, quanta doctrina exposuisse: nonne est veri simillimum eum in Epicuri sententiis inlustrandis etiam plus studi diligentiaeque collocasse? quoniam eius animus in Epicuri hortulis acquiescere maluit quam in frigida Stoa. Iam vero apud Laertium extat commentariolus de Epicuri placitis et amplitudine et doctrina eximius. Inde repetendum est, quod fere omnes homines docti Laertium pro docto habebant Epicureo. Nobis vero non iam licet hunc errorem propagare: quippe qui certissima ratiocinatione ducti plenam huius libri doctrinam Diocli auctori vindicemus, qui promisit se Epicuri vitae probitatem ex ipsis δόγμασι καὶ ϕήμασι esse demonstraturum. Laertius autem iterum somnolenta describendi consuetudine eo prodiit, ut etiam haec Dioclis verba, quibus certam

quandam personam adpellat, in librum suum transferre non dubitaret. X. 28. Ἐπιτομὴν δὲ αὐτῶν (συγγραμμάτων) εἰ δοκεῖ ἐκθέσθαι πειράσμοις τρεῖς ἐπιστολὰς αὐτοῦ παραθέμενος, ἐν αἷς πᾶσαν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἐπιτέμηται. θήσομαι δὲ καὶ τὰς κηρύξας αὐτοῦ δέξας καὶ εἴ τι ἐδοξεν ἐκλογῆς ἀξιώς ἀπεφθέχθαι. ὡς τε σε πανταχόθεν καταμαθεῖν τὸν ἄνδρα καὶ μὲν κρίνειν εἰδέναι. Vtinam Laertii iudicium tandem aliquando sentiamus. Immo manum impudentis imprudentisque deprehendimus furis, qui quidquid hunc locum, quem modo descripsi excipit, summa socordia expilavit, i. e. totam Epicuri doctrinam a Diocle expositam.

Purissimus igitur ditissimusque Laertii fons detectus est: cui quantum debeat, adhuc magis divinare quam dinoscere licet. Vltimo loco nos quaestio manet eaque minoris momenti, quae in Dioclis libri inscriptione indaganda versatur. Excitantur enim et Dioclis βίοι φιλοσόφων et ἐπιδρομὴ φιλοσόφων. Quibus titulis si diversos libros indicari cum Ritschelio in comm. de Gnomol. Vindobon. p. X (Opuscularum t. I p. 577) Heckeroque sumimus, id saltem pro certo habuerim ἐπιδρομὴν φιλοσόφων esse summarium amplioris vitarum voluminis: num »in praelectionum usum« confectum sit, id Heckero explorandum relinquimus. Huic vero sententiae duo maxime adversantur argumenta: primum quod illa Stoicorum Epicureorumque placitorum expositio ex ἐπιδρομῇ desumpta hercule non redoleat summarium. Dein nonne est parum verisimile et ampliorum vitarum librum simul et summarium ex eo factum Laertio praesto fuisse? Restat igitur, ut de uno eodemque libro cogitemus, a Laertio modo ampliore titulo, modo brevius excitato. Neque id abhorret a citandi ratione, quam Laertius eiusque aequales usurparerunt. Veluti Athenaeus eundem Niciae Nicaeensis librum modo διαδοχάς φιλοσόφων, modo τὴν περὶ τῶν φιλοσόφων ιστορίαν vocat. Quid quod ipse Laertii titulus diversissima ratione exhibetur ut a Suida s. v. τετραλογία — Διογένους περὶ βίων φιλοσόφων, ab Eustathio ad Il. μ p. 854 ὁ Διογέτης ἐν τοῖς τῶν σοφιστῶν βίοις, a Stephano s. v. Ἐρετοί — ᾧς Διογένης ἐν δειντέρῳ φιλοσόφῳ ιστορίας, a Photio in bibl. cod. 161 φιλοσόφων βίον. Sed nemo rei usitatissimae exempla postulabit. Conf. Valentinus Rose in Ar. pseud. p. 194.

II.

De Favorino Arelatensi.

Aulus Gellius in libri sui praefatione de ratione disserit, quae inter Noctes Atticas et aliorum miscellanearum doctrinæ commentarios intercedat: quibus tantum in ipsius inscrip-

tionis laude sese cedere confitetur, quantum in cura et elegantia scriptiorum. Neque se abstinuit, quin talium titulorum elegantias plena manu funderet, Plinium imitatus naturali historiae praefantem. Quamquam hac in re suum probat iudicium, quod ad eos fere solos libros provocat, qui ei in Noctibus conscribendis et exornandis praesto fuerunt. Conf. L. Mercklinus in Fleckeiseni Ann. Suppl. III p. 671. His vero quo liberius maiorem tituli urbanitatem concedit, eo acriorem item paullo post intendit his verbis usus »Illi omnes et eorum maxime Graeci multa et varia lectitantes, in quas res cunque inciderant alba ut dicitur linea sine cura discriminis solam copiam sectati convertebant (corr. cum Casaubono »converrebant«), quibus in legendis ante animus senio ac taedio languebit, quam unum alterumque reppererit, quod sit aut voluptati legere aut cultui legisse aut usui meminisse. Ego vero cum illud Ephesii viri summe nobilis verbum cordi haberem, quod profecto ita est πολυμαθίη νόον οὐ διδύσκει« e. q. s.

Eosdem etiam altero loco perstringit, qui neque usui nec voluptati legentium consuluerint in libris huiusc generis, quod Graeci ὑπομνηματικὸν vocant atque ei librorum generi opponunt, qui unum certumque consilium (i. e. ἔνα σκοπόν) secuntur, συντάγματα scilicet. In quarto enim decimo libro iterum quaestio proponitur, »cui modi sint, quae speciem doctrinarum habeant, sed neque delectent neque utilia sint«. »Homo ait Gellius, nobis familiaris, in litterarum cultu non ignobilis magnamque aetatis partem in libris versatus adiutum, inquit, ornatumque volo ire noctes tuas: et simul dat mihi librum grandi volumine doctrinae omnigenus praescatentem ut ipse dicebat, quem sibi elaboratum esse ait ex multis et variis et remotis lectionibus, ut ex eo sumerem, quantum liberet rerum memoria dignarum. Accipio cupidus et libens tamquam si Copiae cornum nactus essem et recondo me penitus ut sine arbitris legam«.

Omissis in tempus miraculis quae Gellius in hoc volumine invenit, statim finem huius sectionis adscribam. »Quem (librum) cum statim properans redderem, ὅραιο σον, inquam, doctissime virorum τινές τῆς πολυμαθίας et librum hunc opulentissimum recipe nil prosus ad nostras paupertinas litteras congruentem. Nam meae noctes, quas instructum ornatumque isti, de uno maxime illo versu Homeri quaerunt, quem Socrates prae omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat:

ὅτι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτωκται.

Nemo adhuc libri, qui verbis descriptis indicatur auctoris que nomen eruere conatus est: quamquam non desunt luculenta indicia, quibus compositis suspicio in una certaque fixa haereat persona. Erat igitur e doctorum Gelli familiarium numero: ita

ut ab illo honorificis verbis »doctissime virorum« adpellaretur. Graeca usus lingua, ut ex excerptis comparet, librum grandis voluminis confecerat, ex multis et variis et remotis elaboratum lectionibus, quem ipse scriptor adfirmat omnigenae praescatere doctrinae. Neque tamen latinae erat expers linguae: si quidem Gellius re vera latine cum eo collocutus est, paucis tantum admixtis flosculis de Graecis litteris decerpit. Cum vero illum librum proxime ad eorum collectaneorum speciem accedere constet, quae Gellius Noctibus suis praefatus ut neque iucundas neque utilia adumbravit: nonne iure nostro hunc librum putabimus ei ante oculos obversatum esse, cum titulos talium voluminum congereret in praefatione. Quam post libros viginti confectos sese conscripsisse ipse confitetur. Qua consideratione eo adducimur, ut libri, cuius auctorem indagamus, nomen eo praefationis loco, quem indicavimus, extare suspicemur.

Haec et talia indicia, si in uno eiusdem aetatis scriptore, qua Gellius floruit, deprehenduntur, eum non solum in suspicionem vocant, sed apertissime ut verum illius libri patrem auctorremque convincunt. Atqui talem scriptorem tenemus: quippe qui Suida aliisque testibus πολυμαθῆς κατὰ πᾶσαν παιδείαν summam litterarum et latinarum et graecarum sibi comparaverit laudem et artis amicitiae similiumpque studiorum vinculis cum Gellio coniunctus sit: qui librum conscripsit omnigena doctrina refertissimum eumque grandis voluminis: cuius nomen in illa titulorum serie non omisssum est. Haec omnia insigniter quadrant ad Favorinum Arelatensem eiusque librum qui παντοδαπή ιστορία inscribitur.

Postquam indiciorum monstravimus congruentiam, res ipsa quidem confecta est. Alia tamen ratione eiusdem conjecturae necessitatem licet assequi; audiamus enim, quae Gellius ex illo libro sibi enotaverit. »At quae, inquit, ibi scripta erant pro Iuppiter mera miracula! Quo nomine fuerit, qui primus grammaticus adpellatus est: et quot fuerint Pythagorae nobiles, quot Hippocratae: et cuius modi fuisse Homerus dicat in Vlixis domo λαύρην; et quam ob caussam Telemachus cubans iunctim sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit, sed pedis ictu excitarit; et Euryclia Telemachum quo genere claustrum incluserit; et qua propter idem poeta rosam non norit, oleum ex rosa norit. Atque illud etiam scriptum fuit, quae nomina fuerint sociorum Vlixis, qui a Scylla rapti laceratique sunt; utrum ἐν τῇ ἔσω Θαλάσσῃ Vlices erraverit κατ' Ἀρίσταρχον an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα; item et istic scriptum fuit, qui sint apud Homerum isopsephi: et quorum ibi nominum πιραιωτιχίς reperiatur: et quis adeo versus sit, qui per singula vocabula singulis syllabis increscat: ac deinde qua ratione dixerit singulas

pecudes in singulos annos terna parere; et ex quinque operimentis, quibus Achillis clipeus munitus est, quod factum ex auro est, summum sit an medium; et praeterea quibus urbibus regionibusque vocabula iam mutata sint, quod Boeotia ante appellata fuerit Aonia, quod Aegyptus Aeria dicta est (corr. sit), quod Attice Ἀττική, quod Corinthus Ephyre, quod Macedonia Ἑμαθία, quod Thessalia Αἰγαρία, quod Tyrus Sarra, quod Thracia ante Sithonia dictast (corr. dicta sit), quod Paeston Ποσειδώνιον».

His Gellii excerptis componamus dispersas παντοδαπῆς ἴστορίας partes, quas alicunde novimus. Primum Favorinum constat in hoc libro εὐρήματα consignasse, quorum plura apud Laertium sunt residua veluti VIII. 12. 47. 83. IX. 29. V. 9. III. 24. II. 1. 11. 20. conf. Steph. Byz. s. v. Ἀλθίωψ. Ex hac igitur libri parte desumpta est primi grammatici mentio, cuius nomen prodit Clem. Alex. Strom. I. p. 133 Sylburg. Eidem libro etiam homonymorum indices insertos fuisse, proximo capite docebimus: quem ad locum referendi sunt Pythagorae Hippocraticaeque nobiles a Gellio memorati. Neque ab Homericarum quaestionum nugis argutissisque abhorruit Favorinus: si quidem serio cum Gellio disquisivisse dicitur (v. Noct. Att. III. 16), cur Homerus Neptunum virginis nuper a se compressae haec dicentem faceret: Odyss. XI. 248 ss. Huius ζητημάτων Ὁμηρικῶν genere tum de Gellianis exemplis quidquid effici potest, effectum est a Lehrsio in Aristarchi stud. homer. p. 210 ss. prior. ed. Ultimo loco Gellius nonnulla ex ea libri parte excerptis, ubi de regionum urbiumque nominibus eorumque mutationibus disseruit Favorinus: quem tales tractasse materiem in omnigena historia luculentis evincere licet testimoniis veluti Steph. Byz. s. v. Σφακτηρία — ἐκαλεῖτο καὶ Σφαγία ὡς Φαβωρῖνος. s. v. Ωκεανός δὲ ποταμός δὲ περιέχων τὴν γῆν. Φαβωρῖνος ἐν ταῖς παντοδαπῖς ἴστορίαις „Προσαγορεύοντι δὲ τὴν ἔξω θάλατταν ἐκεὶ μὲν οἱ πολλοὶ τῶν βασθάρων Ωκεανὸν, οἱ δὲ τὴν Λασίαν οἰκοῦντες Μεγάλην θάλατταν, οἱ δὲ Ἐλληνες Ἀιλαντικὸν πέλαγος“ (quocum cognatam conferas quaestionem, utrum Ulices ἐν τῇ ἔξω θαλάσσῃ erraverit κατ' Ἀοίσταρχον an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα i. e. in Oceano. Vid. Lehrsium egregie de hac re p. 254 ss. disputantem). Denique agedum κολοφῶνα ἐπιθῶμεν τοῦ παντὸς exemplum tertium proferentes eius generis, quo solo de nostra conjectura apertissime disceptetur: quale habeas Stephanii Byzantii testimonium cum Gellii excerptis conlatum:

Gellius:

quod Attice Ἀκτή (ante dicta sit).

Stephanus:

s. v. Ἀκτή. οὗτος ἡ Ἀττική ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἀκταίου τινὸς ἀνὴρ δὲ ἦν αὐτόχθων ὁς Φαβωρῖνος (in omnigena historia scilicet conf. s. v. Αἴταριάται — Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπαῖς. s. v. Χελιδονία — Φαβωρῖνος ἐν ταῖς παντοδαπαῖς s. v. Ωκεανὸς — Φαβωρῖνος ἐν ταῖς παντοδαπαῖς ιστορίαις. s. v. Ἀλεξάνδρεια cum nota Marresi, in dissertatione ceterum vix laudabili).

Ad Favorini omnigenam historiam e Stephani Epitome multo plura redire constat, quam eius nomine insignita sunt. Iam e ratiocinatione nostra nobis licet has notas ei vindicare auctori, quas apud Favorinum extitisse a Gellio edocti sumus.

Gellius:

quod Boeotia ante appellata fuerit Aonia —

quod Aegyptus Aeria —

quod Corinthrs Ephyre —

quod Macedonia Ἑμαθία —

quod Thessalia Αίμονία —

Stephanus:

s. v. Βοιωτία — ἐκαλεῖτο δὲ Αονία.

s. v. Αἴγυπτος — ἐκλήθη καὶ — Αερία.

s. v. Κόρινθος — ἡ αἱτή ἐκαλεῖτο Ἐφύρη ἀπὸ Ἐφύρης κτλ.

s. v. Ἑμαθία πόλις καὶ χωρίον, ἡ νῦν Μακεδονία.

s. v. Αίμονία ἡ Θεταΐα ἀπὸ Αίμονος. Αἴμων δὲ νιὸς μὲν Χλώρου τοῦ Πλειασγοῦ πατήρ δὲ Θεσσαλοῦ κτλ.

Favorinus, unde haec diversa nomina exorta sint, exponit. Conf. Phot. bibl. cod. 161: (in Favorini libris) „διάφοροι ιστορίαι καὶ τῶν κατὰ τὰ ὄντα ματιαὶ θέσεων αἰτιολογίαι“.

Nemo quidem, qui hanc argumentorum collectorum vim acriter perpenderit, nobiscum facere dubitabit: attamen si quis interiorem Gelli traxerit familiaritatem, non facile sane sibi persuaderi patietur, Gellium tale aliquid de Favorino optimo praecoptore scripsisse, quale nosmet e nostra coniectura ei imputamus. Quid, inquiet, Gelliumne putabimus speciem doctrinae Favorino exprobrasse, cuius amplam paratamque copiam tam crebro est expertus. At exprobravit utique, respondemus, idque quidem iam in prooemio. Quis enim est nisi Favorinus, qui in elegantium titulorum indice hunc in modum commemoretur »est

qui παντοδαπῆς ἴστοριας (sc. titulum) fecerit. Reprehensio vero, in quam omnes illi titulorum auctores incurront et maxime Graeci, nonne etiam in Favorinum eodem iure quo in ceteros cadit? Itaque si Gellium semel agnoscimus libero iudicio de magistro usum esse, quid impedit, quominus idem etiam iterum fecisse sumamus? Hac igitur in re non est haerendum: immo quanta lenitate et urbanitate vituperationi Gellius inmiscuerit laudem, sane est quod observemus. Neque hoc solo casu factum est, ut Favorini nomen in utroque loco omitteretur: id quod modesto Gellii animo probe convenit. Denique ipsum hoc dici potest non tam Favorinum quam genus litterarum, cui se ad-dixit, reprehendi idque a Gellio hac illius capitinis inscriptione significari, »cui modi sint, quae speciem doctrinarum habeant sed neque delectent neque utilia sint«.

Cum igitur Gellius omnigenam historiam Favorino statim properans reddiderit, efficitur nulla alia ex ea excerpta in Notitiis nobis occurrere, nisi quae capite quod tractavimus comprehendenter. Si tamen nonnunquam ad Favorini verba provocatur, haec aut ex sermone sumpta sunt aut ex alio eius libro: veluti X. XII. 9—10 »Nam et plerique nobilium Graecorum et Favorinus philosophus memoriarum veterum exequentissimus affirmatissime scripserunt simulacrum columbae e ligno ab Archytas ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse, ita erat scilicet libramentis suspensum et aura spiritus inclusa atque occulta concitum«. Licet hercle super re tam abhorrenti a fide ipsius Favorini verba ponere „Ἀρχύτας Ταραντῖνος τὰ ἄλλα καὶ μηχανικὸν ἐν ἐποίησε περιστεράν ξυλίνην πετομένην [ἢ] ὀπόσε καθίσειεν οὐκέτι ἀνίστατο“.

Hac ipsa laude, qua Favorinus memoriarum veterum exequentissimus dicitur — cuius egregria vel divina memoria etiam XIII. 24. 5 commemoratur — nonne apertissime libri, unde sequentia sumpta sunt, indicatur ἀπομνημονεύματα titulus? Neque scio cui libro illud Archytæ tribuam nisi ei, quem dixi. Quod si conceditur, hac in re ponimus huius quem descriptissimus loci vim pretiumque, quod ei distinctam talium ἀπομνημονεύματων imaginem debemus, qualia Favorinus congressit. Tenendum enim est ipso titulo non posse dijudicari de illius libri forma, cum duo diversa ἀπομνημονεύματων genera distinguenda sint, unum ad Xenophontis rationem compositum, alterum, cuius exemplum Valerii Maximi extant memorabilia. Erravit autem E. Koepkius, qui primum genus a Favorino esse expressum contendit. Quae opinio loco redarguitur, quem nosmet Favorini ἀπομνημονεύμασι vindicavimus, non confirmatur testimoniosis, ad quae ipse provocavit. Veluti La. III. 25 [ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονεύματων Φαβωρίνον φέρεται ὅτι] Μιθριδάτης ὁ

Πέρσης ἀνδριάντα Πλάτωνος ἀνέθετο εἰς τὴν ἀκαδημίαν καὶ ἐπέγραψε· Μιθριδάτης δὲ Ροδοβάτου Πέρσης Μονόσιτις εἰκόνα ἀνέθετο Πλάτωνος ἥν Σιλανίων ἐποίησε. vel. VI. 68. [χαρίεν δ' αὐτοῦ (Κράτητος Θηβαίον) Φαβωρῶνος ἐν δευτέρῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων φέρει· φησὶ γάρ] Παρακαλῶν περὶ τούς τὸν γνηνασίαρχον τῶν ἴσχιών αὐτοῦ ἥπτετο, ἀγανακτοῦντος δὲ ἔφη Τί γάρ οὐχὶ καὶ ταῦτα σά ἔστι καθάπερ καὶ τὰ γόνατα;

Remotis, quae unciis inclusimus, nonne iustam prioris generis formam instauravimus prorsus ad illius loci imaginem accedentem, quem e Gellii libro attulimus. Huc optime quadrauit, quae ex Sereni ἀπομνημονεύμασιν excerptis Ioannes Stobensis veluti III. p. 104. Mein. Θαλῆν εἰς τὸν οὐρανὸν δρῶντα καὶ ἐμπεσόντα εἰς τὸν βάραθρον ἡ θεράπαινα Θεράτηα οὖσα δίκαια παθεῖν ἔφη, ὃς τὰ παρὰ ποσὶν ἀγνοῶν τὰ ἐν οὐρανῷ ἐσκόπει. conf. III. p. 117 Ἀρκεσιλάου ἐκ τῶν Σερήνον ἀπομνημονευμάτων, unde sequentia quoque lemmata Ἀρίστωνος Θεοκρίτου Κλειτομάχον Ἀρίστωνος deprompta esse videntur.

Iam eo disputationis ventum est, ubi de discriminine, quod inter utrumque Favorini librum intercedat, est dicendum. Atqui primum constat et ἀπομνημονεύματα et παντοδαπὴν ἴστορίαν, si summi spectas, uni eidemque litterarum generi adscribenda esse, ἀπομνηματικῷ scilicet. Veteres enim etiam conlectanea et excerpta, quae ex lectione sua aliquis collegerat ut peculiaria scripta eaque excerptoris nomine insignita recensebant: id quod a consuetudine nostra prorsus abhorret. Gellius autem, qui de hoc litterarum genere in praefatione disserit, pro exemplo etiam libros memoriales Masuri Sabini et Favorini παντοδαπὴν ἴστορίαν habet: unde efficitur, inter huius Favorini ἀπομνημονεύματα, quorum forma prorsus eadem est cum Sabini libris memorialibus, et inter παντοδαπὴν ἴστοριαν nullum gravius agnoscendum esse formae discriminem. Quod vero ad ambitum utriusque libri attinet, res longe aliter se habet. Cum enim numerus ἀπομνημονευμάτων librorum, ad quos Laertius saepe provocat, numquam supra quintum escendat, aperto Photii testimonio edocti sumus omnigenam historiam ex XXIV libris esse compositam. Ex hoc autem numero tot tantaeque natae sunt turbae, ut Photii locum accuratius tractandi necessitas imposita sit. Postquam igitur Photius ea, quae Sopater duobus prioribus libris ἐξλογῶν amplexus est, breviter enarravit, tertii libri imaginem ita adumbrat:

Phot. bibl. cod. 161. δὲ τοῖτος λόγος συλλέγεται αὐτῷ ἐκ τῆς Φαβωρίνου παντοδαπῆς ὑλῆς ἐκ τε τοῦ ὃ καὶ τοῦ ἔτει καθεξῆς πλὴν τοῦ ἂ μέχυτι τοῦ ὧ. ἐν οἷς διάφοροι ἴστο-

φίαι καὶ τῷ κατὰ τὰ δυόμιτα θέσεων αἰτιολογίαι καὶ τοι-
αῦτα ἔτεροι. Adnotat C. Muellerus III p. 577. »Historia omnigena ordine digesta erat alphabeticō, ut colligitur e Photii co-
dice 161 — — quae e libro octavo afferuntur, de Platone et
de Pythagora sunt: adeo ut in hoc libro ad litteram *Π* auctor
devenisse videatur«.

Lubentissime Sopatro largimur libertatem, quidquid lubet
excerpendi: at si cum Muellero — conf. L. Vrlichius in Mus.
Rhen. nov. XVI. p. 254, Heckerus in ep. crit. Philol. V. p. 432
inserta — hunc locum ita interpretaris, ut Sopater Favorini lexicon
ad litterarum ordinem digestum totum per omnes litteras
compilasse excepta una littera *T*, aut Sopatrum insanientem aut
Muellerum de loci sententia falsum agnosco. Quid enim? Suc-
censuitne Sopater huic litterae *T*? Res sane ridicula. Praesertim
cum nihil impedit, quominus verba Photii in prorsus aliam par-
tem accipiamus. Accedit, quod Muelleri sententiae ipsa fragmenta,
quaes aetatem tulerunt, acerrime repugnant. Narrantur enim III.
57 de Platone et Pythagora nonnulla, quae Laertius e secundo
παντοδαπῆς ιστορίας libro desumpsit. Exspectanus autem, si
cum Muellero facimus, haec fuisse aut s. v. *Πλάτων* aut s. v.
Πυθαγόρας inserta. Quid vero? Secundo igitur libro Favorinus
ne iam ad *Π* litteram pervenit, quam etiam in octavo libro
eum tractasse alia docent fragmenta? Qualem hominem nobis
informemus Favorinum, qui libro primo litteras *A* usque ad *O*,
libris sequentibus II, III, IV, V, VI, VII, VIII unam solam complexus
sit *Π* litteram. Haec, quam inepta essent, etiam Muellerus
perspexit: quare ἐν δειντέρῳ vocabula mutavit in ὀγδόῃ.

Vt mittamus Muellerum, de his dicendum est, qui id qui-
dem rectissime statuerunt librum Favorini non fuisse λεξικὸν,
sed e XXIV libris compositum, secundum classicam illam Iliadis
Odysseaeque normam, quam Grammatici in Orphei ἴεροῖς λόγοις,
in Panyasisidio Ἡρακλειάδι in libros disponendis secuti sunt.
Conf. Theophrasti θέσεις κδ' et τόμων κατὰ στοιχεῖον κδ'. Ea
autem in re non minus quam Muellerus erraverunt, quod Sopatrum
fixerunt hos omnes libros compilantem praeter eum, qui
littera *T* insignitus est.

Iam aliam indicavi viam, qua res facile expediretur. Con-
sideres enim, quem locum in ordine litterarum *N* et *T* sibi vin-
dicens: *N* scilicet prima est littera tertiae seriei, *T* quartae, si
senas litteras in unam seriem coniunxerimus. Verba autem τοῦ τ
μέχρι τοῦ ω a πλήν particula pendent. Iam si haec concessisti,
hanc accipe totius loci interpretationem »liber tertius excerpta
continet e Favorini historia omnigena collecta eaque ex XIIImo
libro et sequentibus libris desumpta, exceptis libris XIX usque
ad XXIV«. Sopatro igitur conicio παντοδαπῆν ιστορίην in

quattuor τείχη dissectum praesto fuisse: quibus qua ratione singuli libri dispartiti fuerint, ex hac tabula elucebit:

τεῦχος I. τεῦχος II. τεῦχος III.

lib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.
 α . ν . ξ .

τεῦγος IV.

19, 20, 21, 22, 23, 24.

$\tau.$ $\omega.$

εὐγος Sonater solum

Tertium vero *τεύχος* Sopater solum compilaverat i. e. sextantum libros.

Iam est intellectum ampliore ambitu omnigenam historiam ab ἀπομνημονεύμασι prorsus fuisse diversam. Neque deerant aliae graviores discrepantiae. Non enim possum concedere παντοδυπήν ιστορίαν, quam vidimus non fuisse ad litterarum ordinem digestam, omni omnino caruisse ordine. Hac ipsa re, quod Favorinus solam copiam sectatus, ut cum Gellio loquar, alba linea in quas res cunque incidit converrebat, ordo quidam necessario evenit. Quisquis enim librum aliquem diligenter compilavit, rerum aequalitatem postea etiam in conlectaneis suis inveniet: si quidem in hoc libro ipso illa rerum aequalitas inerat. Hoc videtur Favorino contigisse. Veluti quae εὐδημίατα ex omnigena historia excitantur, haec fere semper ex uno octavo sumpta sunt libro. Vnde cave ne conligas secundum argumenta rerum hunc librum fuisse dispositum. Immo hoc est veri similium omnia εὐδημίατα Favorinum sumpsisse ex libro περὶ εὐδημάτων, qualem scripserunt Ephorus eiusque adversarius Heraclides, Strato, Aristodemus, Philostephanus alii. Quin adeo statui potest, cui Favorinus inventa omnia debuerit: si quidem totum locum de Protagorae inventis VIII. 50—54 constat ex omnigena historia esse sumptum. Vbi Timo Phliasius et Artemidorus dialecticus Chrysippi aequalis excitantur: conf. VIII. 47 Eratostenis testimonium. Consectarium est, eum, cui Favorinus inventa debet, post Timonem, Eratostenem, Artemidorum floruisse. Sed haud multo post: id quod ex his verbis elici potest VIII. 54. καὶ (Πρωταγόρας) τὸ γὰρ ἐπιπόλαιον γένος τῶν εριστικῶν ἐγένετο. Recentissimus vero Eristicorum videtur esse Philo, Pyrrhonis γράμματος La. VIII. 67., Carneadis magister Hieron. I. adv. Iovin. cf. Ionsius p. 120. Quibus aetatis terminis adprime conuenit Philostephanus Callimachi discipulus, qui sub regno Philopatoris (222—206) vel etiam postea librum περὶ εὐδημάτων scripsit cf. C. Muellerus III. 28. Philostephano igitur omnia inventa, quae Favorini nomine feruntur, vindicanda sunt. Vnde haustum est, quidquid de primo grammatico, de Pythagora primo pugile VIII. 47. eodem, qui primus athletas carnibus nutriuisse dicitur VIII. 12. de Platone argumen-

tatione per interrogationem introducente III. 24. deque aliis inventoribus apud Laertium narratur.

Atque etiam ex ratione, qua excerpta Gelliana inter sequantur, conligendum est, homonymorum indices, Homericā *ζητήματα*, nominum mutationes non fuisse inter se mixta et confusa, sed aequam semper materiem uno loco collocatam fuisse. Quae ibi de Pythagoris Hippocratisque nobilibus dicta sunt, ex homonymorum summario deprompta sunt: communem originem omnes illae Homericæ quaestiones sibi vindicant, item nomina regionum urbiumque mutata. Evicisse igitur nobis videmur Favorinum ex quattuor libris, ut minimum sumamus, historiam omnigenam conflasse, quorum nomina fuerunt: Philostephanus περὶ εὐρημάτων. Πλειὰ δυωνύμων. Ομηρικὰ ζητήματα. Γεωγραφούμενα. Sed etiam facta dictaque nobilium virorum non defuisse e Iul. Val. de rebus Alex. 1. c. 13 discimus.

Iam vero idem, quod modo de omnigena historia statuimus, estne fortasse etiam de ἀπομνημονεύμασι dicendum? Nihil enim facilius est cognitu, quam nullum in eis ordinem observatum esse. Liber scilicet primus de Pittaco, de Xenophane, de Empedocle, de Socrate, de Platone, de Demetrio Phalereo tradit, alter autem de Aristotele et Cratete, tertius de Platone et Pythagora: ita ut nullus temporum ordo in hac philosophorum serie compareat. Ne hoc quidem factum est, ut uno loco omnia ad unam personam pertinentia comprehendenderentur; immo de Platone et in primo et in tertio et in quinto libro disseritur. Neque hoc videtur spectasse Favorinus, ut materiam suam secundum argumenta disponeret: si quidem eum constat de Lamia Demetrii amica in primo libro narrasse, de Cleone eiusdem viri puer delicto in altero.

Restat igitur, ut idem eum fecisse sumamus in Memorabilibus componendis, quod in omnigena fecit historia: excerpta eo ordine facta, quo totum librum oculis animoque perreptabat, integra deinceps in colectanea sua transtulit. Quos vero libros usurpaverit, incertum est: nisi unum exceperis. E quinto enim ἀπομνημονεύματων Laertius refert Halcyonem dialogum, qui Platonis nomine fertur, esse revera Leontis cuiusdam: eandem autem rem Athenaeus p. 506 c narrat, qui ad Niciam Nicaensem provocat testem. Nonne valde veri simile est, ex Nicia etiam Favorinum hausisse: id quod optime confirmatur conlato Laertio III, 48. Διαλόγονς τοίνιν φασὶ πρώτον γράψαι Ζήτων τὸν Ἐλεάτην. Ἀριστοτέλης δ' ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν Ἀλεξαμερὸν Στιρέα ἡ Τήιον ὡς καὶ Φαβιωνὸς ἐν ἀπομνημονεύμασιν. et Athen. p. 505 b c εἶρε τὸ εἰδός τῶν λόγων ὁ Τήιος Ἀλεξαμερὸς ὡς Νικίας ὁ Νικαεὺς ἴστορεῖ καὶ Σωτίων. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῷ περὶ ποιητῶν οὗτος γράφει· οὐκοῦν οὐδὲ

έμμετρους τοὺς καλονυμέρους. Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμῆσεις ἢ τοὺς Ἀλεξαμενοῦς τοῦ Τηθόν τοὺς προτέρους γραφέντας τῷ Σωκρατικῷ διαλόγῳ. En fontem Favorini iterum deteximus Niciam Nicaeensem. Vnde exoritur suspicio, eius διαδοχαῖς quidquid ad historiam philosophorum pertinet in Favorini ἀπομνημονεύμασι, deberi.

Vtrumque igitur Favorini librum demonstravi eandem fere habuisse originem: e fontibus autem forma consilioque inter se diversis diversam utrumque praebuisse imaginem. In illo maior rerum aequalitas, similibus semper rebus in unum locum congestis veluti inventis et cognominum indicibus. In hoc summa argumenti varietas nullo omnino ordine temperata hisque solis adstricta legibus, quibus talia ἀπομνημονεύματα solent adstringi. Quidquid enim in hoc libro extabat, eodem iure etiam in omnigena historia extare poterat: non vero contrarium statui debet. Velut omne indicum genus ab ἀπομνημονεύματων consilio dissidet, non ab omnigena historia. Quas discrepantias ut facile despicias, componas, quaeeso, animo Aeliani ποικίλην ἴστορίαν ad ἀπομνημονεύματων formam expressam et Plinii naturalem historiam simili ratione conflatam ac Favorini παντ. ἴστ.

Verum enim vero, quo maxime hae de Favorino disputationes valeant, nondum opus est explicemus. Hoc quidem per se est perspicuum, si distinctis coloribus utriusque libri imaginem depinximus, iam posse disceptari, quid huic aut illi tribendum sit, quid non liceat. Ipsum autem Favorinum Laertio ad manus fuisse apertis verbis indicatur VIII. 53. ἐγὼ δ' εὗρον ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Φαβωρίνοι, ὅτι καὶ βούν ἔθυσε τοῖς Θεωροῖς ὁ Ἐμπέδοκλῆς ἐκ μέλιτος καὶ ἀλφίτων καὶ ἀδελφὸν ἔσχε Κυλλικατίδην. Ut concedamus nosmet non diiudicare posse, uter liber titulo ὑπομνημάτων significetur, quoniam et omnigena historia et ἀπομνημονεύματα ἵπομνηματικόν εἴδος repraesentant, nihil moror: illud teneo Laertium utrumque librum manibus trivisse. Quod constaret, si forte eo testimonio destituti essemus: si quidem in longa illa scriptorum serie, qui excitati apud Laertium extant, ultimum locum sibi vindicavit Favorinus neque hanc ob caussam ex aliorum scriptis in Laertii librum irreppisse potest. Qua consideratione magis proficimus quam ipsa illa formula ἐγὼ δ' εὗρον ἐν — in qua explicanda summa cautione nos uti iubet Ritschelius de Oro et Orione p. 32 ss. disputans. Mirum vero in modum ea abusus esse videtur Valentinus Rose p. 40 hisce verbis: »quae testamenta profert Diogenes non tamen ille unde et haec et indices librorum hauserit significans, nisi quod in universum se alicubi scil. in scriptore aliquo reperisse monet (ἥμελις ἐνετύχομεν V. 11, 69. εὐρον V. 51. φέρονται V. 61. eadem formula usus fon-

tem addit VIII. 53 ἐγὼ δ' εὖρον οὐ τοῖς Φαβωρίον inmerito castigatus a Brandisio Arist. I. p. 81; epistolas quoque philosophorum sine fonte solet inferre velut ubi rursus illud εὖρον I. 112. 63. cf. tamen 7. 6« — — — p. 44. »[ex hoc ἀπομνημονευμάτωρ libro] petivit [Laertius] — testamenta —«. Haec recte se habere concedo, si demonstrari possit ex uno omnino libro omnia hausisse Laertium, unius scilicet Favorini. Omnis vero huius conclusionis vis et fundamentum destruitur, si forte Laertius duobus vel pluribus usus est fontibus.

(Continuabitur.)
